



# Forum Romanum Scripts

## Script: Hannibal ad Portas

### *Salutatio*

**Favonius:** Salvete, omnes! Mihi nomen est Marcus Favonius et hoc est Forum Romanum! Quid novi est hodie? Brevi tempore videbimus. At primum, ecce Quaestio Hodierna!

### *Quaestio Hodierna*

**Lector:** Quaestio Hodierna est de Hannibale. Inter se et quem populum Hannibal puer inimicitiam aeternam iuravit? Responsum dabitur ad finem Fori Romani.

### *Quid Novi?*

**Favonius** Et nunc videamus quid novi sit. Hos nuntios modo recepimus: Hannibal ad portas! Hannibal, ille Poenus detestatus omnibus Romanis, ad portas nostrae urbis est. Dum loquimur Hannibal est sub ipsis Romanis moenibus! Terror maximus totam urbem captat! Ut omnes nostrum scimus, Hannibal invictus est usque ad hoc temporis. Tot duces Romani proelium cum Hannibale commiserunt, quot duces aut victi aut mortui sunt. Ad amplius his de rebus audiendum, nostra Iulia Pauli est in Foro, ante Curiam.

### *Et Alia (Iulia Pauli's interview with Fabius Maximus)*

**Iulia:** Gratias, Favoni. Ante Curiam in Foro sum et mecum est Q. Fabius Maximus Verrucosus, consularis, qui plurimum de Hannibale novit. Salve, Fabi!

**Fabius:** Et tu salve! Mihi placet tecum loqui.

**Iulia:** Tu bene nosti hunc Hannibalem, nonne?

**Fabius:** Eum novi. Perfidus et pravus est, sicut omnes Poeni, sed in proelio nemo est acerior aut astutior, si licet mihi dicere.

**Iulia:** Tibi consentiunt multae matres Romanae quarum filii in proelio iam necati sunt.

**Fabius:** Identidem dixi: Noli proelium committere cum Hannibale. Ille Punicum monstrum non potest superari in proelio! Sed nemo mihi credidit. Flaminius non mihi

credidit, et Aemilius Paulus. At ubi sunt isti magni imperatores nunc? Cum Plutone!  
Cave Hannibalem, inquam!

**Iulia:** Quid ergo necesse est nobis facere ut Hannibalem ab Italia expellamus?

**Fabius:** Non multum curo de Italia. Res Publica Romana est mihi curae! Ut saepissime ego dixi, oportet lente movere contra illum Hannibalem. Si paulatim exercitum Poenicum teramus, victoria nostra erit. Festina lente, ut dictum est.

**Iulia:** Sed certe aliquid nobis faciendum est? Hannibal est ad portas ipsas!

**Fabius:** Nil refert. Roma firmissime munita est. Nihil potest Hannibal agere hic. Hic "impetus" est nihil nisi prava desperatio. Mox Hannibal Roma discedet. Mihi crede.

**Iulia:** Esne tu certus?

**Fabius:** Certissime. Nil desperandum!

**Iulia:** Nihilne faciamus?

**Fabius:** Nihil, inquam. Tempus est nobis amicus et inimicus Poenis.

**Iulia:** Iam satis intellego cur tu appelleris "Cunctator!"

**Fabius:** Si cunctando nobis Res Publica restituatur, fiat!

**Iulia:** Gratias maximas, Fabi Maxime. Rursus ad te, Favoni.

### **(Favonius gives an editorial)**

**Favonius:** Qualis homo est hic Hannibal? Plurima et dicta et scripta sunt. Ut traditum est, Hannibal puer, patris iussu, iuravit inimicitiam aeternam inter se et Populum Romanum. Quis nescit de Laco Trasumeno ubi exercitus Romanus exstinctus est? Quis nescit de Cannis ubi duo exercitus Romani exstincti? Quanta milia militum Romanorum iam mortui sunt? Et hoc ipso tempore Hannibal ad portas Romanas ipsas est! Quid faciamus? Hic arbiter nuntiorum certe nescit. Di nos iuvent!

(pause)

Verum satis et superque est de Hannibale. Tempus est audire de tempestate hodierna. Quam ob rem hic est Aulus Serenus!

### ***Tempestas Hodierna***

Serenus: Gratias tibi ago, Favoni. Videamus quaenam sit tempesta hodie. Circum Romam atque totam per Italiam est caldissimum, ut semper aestate. Sol vehementer lucet

atque agri sunt paene tosti. Utinam Apollo agitare suum currum proximum Hannibali et eius Poenis atque incenderet totum exercitum Punicum! Aut fortasse Iuppiter pluat atque abluat Punicos multo cum fulmine! Aut melius, Neptunus faciat ut terrae motu omnes Punici deleantur! (pause) Ignosce mihi, me paenitet. Non sum apud me hodie. At vero, ille Hannibal nos omnes perterritos pavidosque effecit. Ego quidem sum paene non compos mentis! At tamen, videamus quaenam sit tempestas alibi. In Africa, ubi sita est Carthago, illa urbs Poenica, tempestas quoque caldissima aridissimaque est. Item in Hispania, ubi Hannibal erat antequam Alpes Montes transivit ut nostram Italiam invaderet. In orientali parte Maris Nostri caldissimum est circum Phoenicen, unde venerunt Poenici qui condiderunt Carthaginem. Utinam Carthago non condita esset! Iterum inquam, ignosce mihi. Bellum, horridum bellum. Iam satis est. Aulus Serenus sum atque spero caela sint vobis valde serena!

### *Responsum Quaestioni*

**Favonius:** Multas gratias, Serene. Et nunc, ecce responsum quaestioni hodiernae.

**Lector:** Quaestio hodierna erat ut sequitur: Inter se et quem populum Hannibal puer iuravit inimicitiam aeternam? Responsum est hoc: inter se et populum Romanum.

### *Dictum Hodiernum*

**Favonius:** Nunc tempus est videre nostrum Dictum Hodiernum!

**Lector:** Hodie sunt nobis duo dicta: Festina lente!; Nil desperandum!

### *Valedictio*

**Favonius:** Verba notanda. Ut repetamus nuntios principales: Hannibal ad portas Romanas est! Di nos iuvent! Totum est ad hanc editionem Fori Romani. Gratias summas agimus et di vobis faveant. Valet, omnes!